



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

23. An solus Episcopus sit Minister Ordinarius Sacramenti Ordinis? Et aduertitur à quocumque vero Episcopo, sine Hæretico, sine Schismatico, sine Catholico, conferri posse validè Sacramentum Ordinis; ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

RESOL. XXIII.

An solus Episcopus sit Minister Ordinarius Sacramenti Ordinis?

Et aduertitur a quocumque vero Episcopo, siue heretico, siue schismatico siue Catholico, conferri posse valide Sacramentum Ordinis, peccabit tamen lethaliter si Sacramentum hoc ministrat, quando id facere prohibetur ab Ecclesia. Ex part. 8. tr. 2. Ref. 1.

§. 1. **R**esponso affirmatiua est de fide, & ideo omnem, & solum Episcopum valide consecratum esse Ministrum ordinarium huius Sacramenti definitum Concilium Tridentinum, sess. 23. can. 7. ibi. Si quis dixerit Episcopos non habere potestatem consecrandi, & ordinandi, vel eam quam habent esse illis cum Presbyteris communem, & anathema sit. Et sub ipso nomine ministri ordinarij sic definit Concilium Florentinum, sess. 1. in decreto Eugenij, Ordinarius Minister huius Sacramenti est Episcopus. Idem docet Chrysostomus homil. 11. in priorum epist. ad Timotheum, ubi agens de Episcopis, & Presbyteris, dicit sola quippe ordinatione superiores illis sunt: scilicet Episcopi Presbyteris. Et Hieronymus epist. 85. ad Euaerium: Quid facit Episcopus excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat? Etque communis Ecclesie sensus, ita ut Aërius etiam hac de causa fuerit habitus hereticus, quod conferret simplici Sacerdoti competere facultatem Ordines conferendi.

2. Hinc Apostolus scribens ad Timoth in epist. 1. cap. 4. Noli inquit negligere gratiam, que data est tibi per impositionem manuum Presbytery. Vbi patet, sermonem esse de ordinatione S. Timothei: & per Presbyterium intelligitur conuentus Episcoporum, qui olim Presbyteri etiam appellari solebant; erat enim nomen Presbyteri, sicut & nomen Episcopi omnibus Sacerdotibus commune, ut ex multis refert, & docet Cardinalis Bellarminus tom. 1. lib. 1. de Clericis, cap. 15. Ratio vero huius assertionis definitur ex munere Episcoporum: sunt enim Ecclesie gubernatores, quibus proinde incumbit creare ministros Ecclesie media sacra ordinatione; & propterea appellantur Sacerdotes magni, seu perfecti, quia subeunt manus generandi sibi similes, conferendo omnibus hominibus Ordinem sacerdotalem, & alios inferioris, qui ad Sacerdotium ordinantur, sicut homo tunc est in statu perfecto, quando potest sibi similem corporaliter generare. Aduertendumque est, a quocumque vero Episcopo, siue heretico, siue schismatico, siue catholico, conferri posse valide Sacramentum Ordinis: quia hanc potestatem habet ratione characteris indelebilis, qui proinde auferri non potest, sicut nec a Sacerdote potestas valide consecrandi quantumuis in hæresim labatur, aut degradetur: peccabit tamen lethaliter, si Sacramentum hoc ministrat, quando id facere prohibetur ab Ecclesia.

Sup. hoc latè in Ref. seq. & in tom. 3. tr. 1. Ref. 5. §. 1. & in tom. 4. tr. 2. Ref. 6. 1. §. 1. ad medium, a vers. Quippe. sed lege eam per totam, & ex Ref. 99. §. 2.

RESOL. XXIV.

An Episcopus suspensus, excommunicatus, interdictus, depositus, degradatus, vel hereticus val. de consecrat Ordines?

Et aduertitur Ordinationes factas à supradictis Episcopis esse irritas, quoad exercitium Ordinum, non quoad validitatem. Ex part. 8. tr. 2. Ref. 2.

Sup. hoc enclum, & reci-

§. 1. **V**ideatur prima facie respondendum negatiue, ex Rufino, & Faucentino, ut refert glossa Tom. 11.

sa in cap. nos consecrationem, §. sed excommunicati 9. quæst. 1. Et fundamentum est, quia sic negasse videtur Innocentius 1. epist. 18. Leo 1. epist. 48. & refertur p. in Ecclesia 1. q. 1. Gregorius Magnus lib. 3. epist. 20. & refertur c. nos consecrat. 9. q. 1. & lib. 8. epistol. 65. & refertur c. nos in hominem, ibid. Item Damascus Papa epistol. 4. seu. 5. & refertur c. per illicitum, ibidem, expresse dicens, talem ordinationem debere reitanti: ut etiam dicitur præcedenti c. excommunicati: & similiter Urbanus II. in Synodo Placent. & refertur c. ordinationes, ibidem.

ratine in hæc Ref. præterita, & late in tom. 3. tr. 1. Ref. 5. §. 1. & in tom. 4. tr. 2. Ref. 6. 1. §. 1. ad medium, a vers. Quippe. sed lege eam per totam, & ex Ref. 99. §. 2.

2. His tamen non obstantibus, affirmatiue sententiæ adhaerendum est. Dico igitur, Episcopum hæreticum, excommunicatum, interdictum, suspensum, val. de ordinare, quia hæc non tollunt characterem Episcopalem: ratione cuius potest val. de Ordines conferre; & de hæretico, de quo maius dubium esse posset, patet ex præxi Ecclesie que non curat iterato ordinari ordinaros ab hæreticis, idem iudicium est de degrato, in quo character Episcopalis remanet, quamuis aliqui, ut refert Richardus dist. 25. art. 1. quæst. 3. existimant eum non posse val. de Ordines conferre.

3. Ad auctoritates Patrum, & sacrorum Canonum adductas, respondeo eum Baunio in Theolog. moral. tract. 7. quæst. 9. assert. 1. Hurtado de Sacram. Ordinis, dist. 17. iudicare ordinationes factas à supradictis Episcopis esse irritas quoad exercitium Ordinum, non quoad validitatem. Vnde ait Præpositus in 3. part. quæst. unica, de Sacram. Ordin. dnb. 123. num. 117. quod si in sacris Canonibus ex sanctis Patribus ordinationes factæ ab hæreticis interdum devertantur irritæ, non eo sensu dici irritas, quod sint invalidæ, sed quod per eas non accipiantur Ordinis exercitio; quia enim hæretici sunt excommunicati, & non possunt exercere functiones Ordinis, idcirco, qui ab illis ordinatur, non recipit executionem Ordinis.

4. Itaque cum per hæresim, suspensionem, aut excommunicationem, non amittunt Episcopi characterem: ergo nec potestatem conferendi Ordines, cum hæc in characterem consistat, quod & clarius definitum est cap. quod quidam, distinct. 21. canon. sicut semel, distinct. 63. sic tamen ordinati suspensi sunt ab executione suorum Ordinum, ut pluribus ostendetur postea, cum de suspensione, & hoc sensu intelligi debet, quod à Gregor. asseritur lib. 3. Epist. epist. 20. ordinationem que celebrata est ab excommunicato, nullam esse, cum enim id quod in actum reduci nequit, idem sit, quoad rem; ac si non esset, merito dicuntur non consecrati, qui per hæreticos sunt initiati, cum vltimum suorum Ordinum nullum habeant, saltem licitum, negari tamen non debet, quod ordinati ab hæreticis characterem & Sacramentum recipiant.

5. Contra sensere olim Cypr. & Episcopi Africæ, cum enim in ea opinione essent, ut crederent baptizatos ab hæreticis iterum baptizandos esse; iudicandum quoque similiter illis fuit de ordinatis ab hæreticis, eos scilicet iterum ordinandos esse.

6. Quod autem Gratian. 1. quæst. 1. asseruit ordinatos ab hæreticis vltè ordinatos non esse: id hunc sensum habet, non quod ordinatio non sit rata, sed quod Ordinis recepti exercitio sit suspensa, nec redigenda ad actum, ut superius dictum est.

RESOL. XXV.

An Episcopus suspensus à collatione Ordinum Minorum possit ad hoc conferre Ordines maiores?

AA 3